

**05**

**A**

**1800**





COLLEGII MORALIS

EXERCITATIO IX.

De

MODESTIA

ET

AFFABILITATE,

DEO AVSPICANTE

*In Electorali ad Albim Universitate*

Sub

PRÆSIDIO

DN. M. MATTHÆI Grossers/

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris sui perpetim  
colendi,

*Respondente*

SIMONE WOLFFGANGO EYSENIO,

Chreilsheimensi Franco,

*Academici exercitiij gratia.*

Disquisitioni placidæ subjecta.

*Ad diem 25. Martij, horis locoque consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.

COLLEGIUM MORALIUM

EXERCITIA

DE

MODESTIA

DE MODESTIA

AFABILITATE

DE AFABILITATE

DE AFABILITATE

DE

TRAGEDIA

DE M. MATTHEI

DE M. MATTHEI

DE M. MATTHEI



SIMONIS

1800 A 50

CHRISTIANI MATTHEI

1800





Συὸ Θεῶ.

**E**liciter, & diligenter pertractatis, volven-  
do, revolvendoque disputatis virtutibus  
quibusdam fortitudine, temperantiâ, libe-  
ralitate, magnificentia &c. Bono cum Deo  
itidem feliciter progressum facimus ad reliquas or-  
dine ab autore præscripto; sit itaq;

Thesis I.

**A**ffectuum internorum motus quosdam versari circa hono-  
res expetendos, audivimus ex præcedentibus partim, par-  
tim constabit ex præsentis disputatione. Ubi nomen *Φιλοπυίας*  
utriq; virtuti & magnanimitati & modestiæ generaliter cõpete-  
re animadvertimus: præmissâ magnanimitate, rectâ ordinis gra-  
tiâ, altera magnanimitati conjuncta virtus **MODESTIA** scili-  
cet circa honores modicos occupata, **UT ET** homileticarum  
una, scilicet **AFFABILITAS NOBIS ESTO PROPO-**  
**SITA.**

I.  
De  
MODE-  
STIA,  
Cujus.

II. Modestiæ inter alios varia datur descriptio: Definitur ab  
*Aristotele* hoc modo: *ἐπαινείται γὰρ ἡ ἐξ ἑαυτῆς μεσότης ἔσσι πρὸς  
τιμῶν ἀνάσσει*. Laudatur itaq; hic habitus, qui mediocritas  
est, in honore expetendo occupata, non nominata. Adm. Rev.  
Dn. D. Jacob. Martini: Est virtus, quâ quis cum mediocribus ho-  
noribus dignus sit, iis etiam sese dignum judicat, & eosdem de-  
center appetit. *Liebenthalio*: Est virtus moralis, mediocritatem  
in honoribus appetendis & fugiendis servans. *Christiano Matthia*.  
Est virtus quæ in modicis & debitis honoribus expetendis me-  
diocritatem servat. Ex hisce talis à nobis **DEFINITIO** colli-  
gitur. Est virtus moralis, quâ quis, mediocritatem in honoribus  
mediocribus, vel expetendis vel fugiendis servando, affectus suos  
& cupiditates moderatur & temperat.

Definitio.



# I. MEMBRUM.

## Όνοματολογία.

III. In Subjecto notetur: Etymologia Græca, videlicet μεσότης medietas, medium, medium interjectum. Deducta est vox hæc ἀπὸ τῆς μέσης à medio, quod sive substantivum sive adjectivum, (quamvis hoc in loco principaliter & per se de eo non est agendum) varia habet significata. Notat enim μέσον neutrum, qui est neutrarum partium, mediumq; servat, quasi in medio manens, ad neutram partem magis inclinando. Item, μέσον quasi in medio gradu. Apud Grammaticos etiam indifferenter aliàs accipitur, quæ nec activum, nec passivum indiscriminatim, sed medium μέσον inter utrumq; denotat. In Logicis datur etiam medium, & dicitur medius terminus: hæc de voce μέσης reductivè.

*Derivatio.*

IV. Vox modestiæ, Latina, DERIVARI potest dupliciter: 1. Vel à modo cum mensura coincidente, qui uti in omnibus rebus, verbis & actionibus; ita & in honore expetendo aut fugiendo observandus est. Adstricti enim sumus ad omnium rerum modum seu mensuram quâ mensuremur; Quæ cum fixa & infallibilis sit, nihil præter id, quod præscribit faciendum erit. Hinc firmitas hæc & infallibilitas aliquo modo in definitione subinnuitur, quando dicitur, nos appetere debere honores debitos. Vel 2. à modico, ratione appellationis desumptâ ab objecto, quia virtus hæc versatur circa honores modicos, quos ratio personarum, loci, temporis, aliarumq; circumstantiarum accipere præscribit.

V. Etymologia Germanica à Substantivo Zucht/ inde züchtig/ proveniente adjectivo esse videtur. Quæ derivatio generalis, quatenus idem notat, quod omnium virtutum moderatio, alludit ad illud commune & verum dictærum: Die beste Zucht ist/ die ihme der Mensch selbst thut.

*Homonymia.*

VI. Quâ HOMONYMIAM sumitur vox hæc modestiæ s. potissimum modis: 1. Pro moderato omnium virtutum usu. 2. Pro ὁταξία omnium rerum, quæ dicuntur aut aguntur. 3. Pro temperantia

tantia, item, pro verecundia, aut pudore, sicuti videre est Buscheri  
Ethic. Christ. p. m. 150. 4. Pro virtute seu *eleganti morum confor-*  
*mitate, gestus & vestitum corporis moderante*, omniq; adeo modera-  
tione, praesertim in laetis, secundis & jucundis. 5. Pro *appetitione*  
*& fuga honorum non naturali, sed morali, quae hujus est loci.*

VII. Quae **SYNONYMA**, sortita est virtus haec varia æ- *Synonyma.*  
quipollentia nomina: Uti sunt, *μεσότης, Φιλοτιμία, Φιλότιμ* &  
*modestia, studium honoris, moderatum honoris studium, moderata hono-*  
*ris appetitio, ambitio*, (voce hac in bonam partem accepta) hinc ea  
praediti, dicuntur viri strenui, cupidi honorum. Hic notandum,  
virtutem hanc scil. modestiam esse *ἀνώνυμον*, quod & constat o-  
mnium probatissimorum Ethicorum consensu, ideo ad defectum  
aliquantum supplendum, ei alterius extremi nomen, instar no-  
minis proprii attribuitur, propterea vox haec interdum in bonam  
partem accipitur.

## II. MEMBRVM.

### *Πραγματολογία.*

VIII. Prædicatum est definitiva oratio, quae constat genere  
& differentia: **GENUS** est virtus. Aristoteles in Nicom: vir- *Genus.*  
tutem hanc late vocat habitum in textu, verum ibi locutum fuisse  
de modestia non definitivè sed enunciativè clarum est. **DIFFE-** *Differ.*  
**RENTIA** desumitur à materia in qua & potissimum circa  
quam. **MATERIA IN QUAM** est non tantum intus in men-  
te, sed extus etiam prodit, & in factis se exerit. Hinc in mente  
est *ἄσιωδώς*, inchoativè & formaliter; *Symbolikώς* & repræsen-  
tativè in verbis & factis; In verbis continuativè, in factis termi-  
nativè; uti hac de re Christ. Matth. in disp. Ethicis.

IX. **MATERIA CIRCA QUAM** est duplex: **IN-** *Obiectum.*  
**TERNA** & externa: Illa sunt *affectus & cupiditates corrigendæ,*  
*moderandæ, emendandæ*: **HÆC** sunt *honores mediocres, non*  
*quidem omnes, verum mediocres & modici.* In hisce enim offi-  
cium modesti potissimum consistere videtur, ut debitos hono-  
res modo licito appetat, & ab indebitis & indignioribus absti-  
neat.

X. Magnum hîc apparet discrimen honoris quatenus est ob-  
jectum hujus virtutis, & quatenus est proprietas & affectio vir-  
tuti in genere, vel etiam Summo Bono accedens. Probè etiam  
hîc est animadvertenda illa, in hac fortè prolata enunciatione,  
honorem objectivè considerari, homonymia vocis objectivè.  
Nam quando dicitur, honor non est honorantis, sed honorati,  
vox, honoris, hîc objectivè cōsideratur, in quo terminatur, hoc  
enim respectu honor specialiter, hic, vel ille, intelligitur: Nos  
vero in præfenti loco non tali modo honorem intelligimus, sed  
prout est objectum, in quo nostras cupiditates & affectus regere,  
domare, inq; terminis suis retinere discamus.

*Actus.*

XI. Circa hoc datum objectum quidam sese offerunt distin-  
cti **ACTUS**, quorum primus est *acquisitio honorum mediocrium*,  
quod ut rectè fiat, observentur in ea *circumstantia*. 1. Rerum & fa-  
ctorum, *Res illæ ut & actiones sint honestæ, honore dignæ, honesta mili-  
tia, artium liberalium studium, functiones Ecclesiasticæ.*

XII. 2. *Modi*, honores enim legitimo & debito modo acqui-  
rendi, non vi, fraude, dono, largitionibus, corruptelis, crudeli-  
tate, &c. 3. *Quantitatis*. Non enim omnes simpliciter modici ho-  
nores, sed ij tantum honores modici appetendi & acquirendi  
sunt, quos virtus nostra meruit, quos doctrina, nostros esse jubet,  
quosq; facta nostra requirunt.

XIII. Secundus actus est *acquiescentia in honoribus modicis*, ne  
altiora, quàm quæ nobis conveniunt & decent, quæramus, sed  
intra nostros cancellos contineamus nos inclusos, ne deficiamus,  
neve excedamus. Tertius actus est *defensio & conservatio horum ho-  
norum*; Ne existimationi seu ut cum vulgo loqui allubet, reputa-  
tioni nostræ adimi detrahivè aliquid patiamur. Studeamus enim  
potius perfectioni nostræ secundum naturæ jussum, eaque quæ  
nostra, & in nobis sunt, conservemus.

*Comites.*

XIV. Videantur etiam hujus virtutis **COMITES** & vici-  
ni, qui sunt, *humilitas*, & animi æquabilitas. Humilitas definitur  
animi demissio, quâ quis propria modestè extenuat, & submis-  
sius se gerit, quàm jure poterat, nec quicquid potest jaçtat, ne ar-  
rogans aut superbus videatur, sed interdum aliquid de jure ho-  
norum



norum suorum remittit, idq; in Dei & Ecclesiae gloriam, de hoc modestiae comite videatur fusius Clarissimi Domini D. Jacobi Martini nostri Praeceptoris Synopsi Ethicae. Definitur etiam humilitas haec, virtus per quam honores non indebitos, sed saltem debitos, appetimus, aliisque libenter cedimus, & singulos debita reverentia colimus, de qua Christianus Matth. in disput. Ethicis.

XV. *Aequabilitas animi* est virtus, quae affectus animi in laetitia sive rebus secundis moderatur, ne nimium efferantur.

XVI. FINIS modestiae est duplex: INTERNUS seu actio *Finis.* propria est *cupiditates honorum recte moderare, captivas tenere, ne vel in excessu vel in defectu peccetur*: Honores parvos decenter tractare, accipiendo nimirum eos vel denegando. EXTERNUS est *honestas*, quae in decenti & convenienti hac honorum tractatione, conspicitur. Non quidem hic omnem honestatem pro fine externo nobis proponimus, verum eam, quae est honorum, non omnium sine discrimine, sed mediocrium.

XVII. EXTREMA virtus haec duo habet: quorum *Extrema.* prius in EXCESSU, formaliter & nomine proprio dicitur. *Excessus.* *Φιλοτιμία ambitio*, honorum nimia cupiditas; Posterius in DEFECTU est *ἀφιλοτιμία honorum mediocrium contemptus*. Ambitio describitur tale vitium in modicis honoribus appetendis modestiae fines & limites excedens. Uti habet Liebenthal. Vel est falsa honoris vendicatio orta ex praesumptione virtutis, quam non habemus.

XVIII. Vitium hoc habet etiam quoddam antecedens & subsequens, ANTECEDENS est *Prasumptio quae falsa est virtutis vendicatio*, quam non habemus. SUBSEQUENS seu ex ambitione oriundum, est *superbia*, qua homines majores sibi arrogunt honores, quam digni sunt, aliosque eodem in honoris culmine constitutos, ex alto praese se contemnunt. Uti accuratè habet Christianus Matth. *Ambitio duobus modis contingit. 1. Appetendo tales honores, quos nec appetere, neque acceptare convenit. 2. Quando per inhonesta media eosdem venamus.*

XIX.

XIX. Vitium in DEFECTU vocavimus ἀφιλοπυμία, mediocrium honorum contemptum, quæ est vitium, quando in fugiendis debitis honoribus à modestia deficiamus. Hæc ἀφιλοπυμία aliàs dicitur animi abjectio, ubi distincta occurrit consideratio abjectionis animi, vel Ethica, vel Theologica, hoc modo dicitur virtus Theologica, illo modo vitium Ethicum. Quando in Ethicis consideratur, varia sortitur nomina, levitatem scil. impudentiam, & animi abjectionem. Dixi nomina: Non enim, omnis ἀφιλοπυμία sibi adjunctam & comitem habet levitatem, cum vocum non ἀπλῶς eadem sit potestas.

XX. Duas hoc vitium habet Partes. 1. Ignorantiam sui, & denegationem ejus boni & virtutis. 2. Virtutis ejus κρύψιν, hoc est, repressionem & possessionem otiosam, quæ ἀνασκησίαν includit, & nimiam suorum donorum extenuationem excitat, producit, uti habet Dn. D. Jacobus Martini in Synopsi Ethica. Dn. Gutkhus accuratè proponit in suis disp. Practicis: Abjectio est vel pura, vel affectata, illa dicitur levitas, hæc consistit in nimia donorum suorum extenuatione & detestatione honorum.

### III. Quæstiones.

1.

*Utrum honor noster possit negligi, an verò acerrimè  
& legitimè defendi? Affirm. posterius.*

Multi, omnem honorem negligendum esse putant, parumque referre, quid vulgus de nobis & loquatur & sentiat. Pro defensione nostri honoris militant sequentia. Quicquid 1. est signum effectivum virtutis potissimum, præmium, alimentum & nutrimentum ejusdem, 2. Infamiae, quæ morti comparatur, fugiendæ & avertendæ contrarium est, 3. Pariq; passu cum vita nostra ambulat & ei æquiparatur, illud ipsum nō tantum suscipiendum, magnificiendum, verum etiam acerrimè defendendum est. Atqui honor &c. Ergo. Major sua luce radiat: Minor cum sit trimembris probatur. 1. Honor enim virtutis est effectus, signum ejus potissimum; propterea enim quendam honoramus, quia scimus virtutem ejus in gradu excellenti esse conspicuam. Quis unquam negaverit, virtutem magnificendam esse, quippe quæ sola & unica

ad

ad felicitatem via est? Ea ne præmia nobis jure debita negligamus, aut aliis permittamus? Virtutiné ipsi, quæ nostrum ornamentum & quasi totius hominis oculus est, alimentum & nutrimentum subtrahamus? Absit; Quin potius acerrimè defendamus, cum eâ ratione, quâ virtuosi sumus, nosmet ipsos improbitatis arguamus? 2. Nemo infamiæ in civilibus morti comparatæ, honorem contrâ tanquam vitam non opponet. Tu ne infamiâ sparsus, more naturaliter mortuorum, ita infamis è conspectu hominum te judicabis efferendum, qui porrò in hominum conspectum venire aut progredi non audeas, & tanquam mortuus è civili conversatione abjectus sis? Verum virtute honori adjunctâ, altasq; in nobis agente radices, vivamus, florescamus, virescamus, honoremq; nostrum defendamus. 3. Quis unquam tam crudelis in seipsum fuit, ut id, quod suæ vitæ æquiparatur, pariquè passu cum ea ambulat non curaret, magnificeret, & ob datum casum, non firmiter muniret, cum naturali instinctu quodvis animans sui conservationem & defensionem appetat. Manet ergo conclusio probata: honorem nostrum acerrimè legitimum rament modo defendi debere, quæ fuit probanda.

II.

*An honor noster per retorsionem sive recriminationem defendi possit? A.*

Quicquid fit sui purgandi gratia, ut injuria repellatur, removeatur, illud ipsum est licitum.

Honoris defensio per retorsionem & recriminationem fit sui purgandi gratiâ, ut injuria repellatur, removeatur.

Ergo. Honoris defensio per recriminationem & retorsionem est licita.

Major per se patet, qui n. injuriam illatam, aliis deficientibus mediis, hac ratione non removet, eum i. contra naturalem omnib. animantibus, etiam brutis, inditam inclinationem agere, omninò 2. in se esse injuriû cõstat, adeò, ut etiam 3. æquitati contranitur. Ita verò *se defendens incipiat non injuriandi sed se purgandi causâ*: Verbalem injuriam verbis repellat, eandemquè re-

B

torqueat,

torqueat, non tamen novam infligat. Non igitur ei qui injurio-  
sis verbis provocatur, permissum est, ut se iterum, præter eam in-  
juriam, quam injurianti repulit, verbis injuriosis defendat.

III.

*Utrum virtuosus propter improbitatem & infamiam  
suorum parentum, consanguineorum, libero-  
rum vel uxoris sit honore pri-  
vandus? N.*

Hanc quæstionem cum priori affinitate quâdam conjun-  
ctam esse, neminem later, quam, ut etiam mens nostra de ea con-  
stet, negamus. 1. Nemo debet alterius odio prægravari. 2. Filius non est  
subjiciendus oneri paterno (hac ratione.) 3. Ignominia & infamia  
alicui non venit nisi ex propria turpitudine & delicto. 4. Nemo tenetur  
reddere rationem eorum, quæ in nostra non sunt potestate. Quod si ve-  
rò quis occasionem aliquo modo præbuerit tali infamiae, aliud  
sentiendum est; Interim tamen honor alicujus infamiâ paren-  
tum licet non tollitur, obscuratur.

IV.

*Cur ferè in patria quis quæ minus floreat, aut minor  
apud suos in honore sit, cum tamen honor  
sit virtutis præmium?*

Causæ afferuntur ab aliis plurimæ; quarum quasdam recen-  
sere placet. 1. Quia natura novitatis est avida. 2. Quia boni hæc est  
natura, ut longius, latiusque se propaget. 3. Cum apud nostrates liberius  
vivimus, magis eos agnoscimus, segniusque sæpiusculè cum iis inde  
agimus; Apud ignotos verò gravius & studiosius res gerimus;  
Apud nostrates sæpius alterius, quam nostræ fidimus virtuti; In-  
ter ignotos verò tantum nostræ nitimur virtuti, ideo etiam apud exter-  
nos, gratiores, majorique admiratione accipimur, quàm apud no-  
strates. 4. Quia, quæ oculis nostris quotidie sunt objecta, pede-  
tentim solent vilescere. 5. Quia quivis vir doctus, aut singulari  
aliqua virtute præditus minori in precio & honore apud suos  
habetur, propter conditionem parentum & cognatorum, & propter vilita-  
tem & obscuritatem stirpis. 6. Ideo majori in honore apud peregrini-  
nos,

mos, quàm apud suos homines esse solent, quia natura ipsa eorum in longè excellentiorem transmutatur, quod à simili scilicet à ramo alteri ramo infixò, in què plantis sylvestribus aliò transmutatis demonstratur. Nam si ramum abscissum inserueris alicui arbori, annon excrescet in justam magnitudinem & altitudinem arboris? Nonne indè fit arbor, quæ ante ramusculus mansisset. De his quæstionibus & aliis videantur Aidius in Clavi Philosophiæ moralis, & Liebenthal in Ethicis disp.

IV.

Canones.

1. Magnopere curandum est, quid alii de nobis sentiant. Ratio, quia negligere si vis, quid de te alius sentiat, non solum arrogans, sed & dissolutus omninò judicaris.
2. Magis *simus solliciti de tribuendo quam recipiendo honore.*
3. *Melius est honorare, quam honorari.*
4. *Debiti honoris collatio absq; culpa, vitio, injuriâq; alterius, à viro prætermitti non potest.*
5. Cui honor virtute dignus non tribuitur, non peccat, quamvis debitum honorem non poscat.
6. In ambitioso etiam datur vitio, quod honorem factis præclaris dignum respuit.
7. Ambitio interdum laudatur, quia hominem, ut virili prorsus animo honores affectet, excitare videtur.
8. In ambitio etiam interdum commendatur, quod hominem temperantiæ studiosum reddat.
9. Modestia cum alterutro extremorum collata, induit vicem semper alterius extremi, sicut & in aliis virtutibus hoc evenit.
10. Modestiam honor etsi sit modicus & parvus, non tamen nullus est.
11. De honore licet in doctrina Summi Boni actum, nihilominus tamen honor etiam est modestiam objectum.
12. Quò pauciores cultores modestia habet in praxi, eò magis ejus cognitio & praxis est elimanda & urgenda.

13. Rationi non est contrarium honores appetere.
14. Honor est individuus comes virtutis, licet non semper eodem gradu, nec eodem splendore, neque etiam omni tempore.
15. In publicis locis jura paterna silent. Hæc de modestia, sequitur.

II.  
De  
AFFABI-  
LITATE.

## AFFABILITAS.

### Thesis I.

**A**ccedimus ulterius ad virtutes homileticas, quæ dexteritate quadam in conversatione eduntur, à quibusq; benè conversari discimus; Versantur eæ circa familiaritatem, in qua conspiciuntur tria: serium, verum & jocosum, circa duo posteriora versantur urbanitas & veracitas in sequentibus disputationibus tractandæ, circa prius affabilitas, quâ jam præsentem finiemus disputationem. Hanc itaq; virtutem perpendentes, invenimus itidem ὀνοματολογία & πραγματολογία. Illa continet in se Etymologiam: Homonymiam & Synonymiam.

I.

Ὄνοματολογία.

Derivatio.

II. Quæ ETYMON: est vox Græca, Latina, & Germanica. Dicitur 1. Φιλία, ἀπὸ τῆς φίλος ab amico, charo. 2. Φιλανθρωπία, ἀπὸ τῆς φίλος & ἀνθρώπος homine amico, à subjecto desumptâ appellatione. Concurrunt hæc duæ derivationes in eo, quo hominem in conversatione amicum & placidum significant.

III. Dicitur Latinè affabilitas, ab immediato adjectivo affabilis, & postmodum verbo affari, ansprechen/ anreden/ zusprechen; Humanitas ab effectione quadam ab homine prodeunte. Generaliter quidem affari significat alloqui, specialius, humaniter & placidè alloqui. Germanica habetur, Leutseligkeit/ Freundligkeit im Anreden/ Góldseligkeit / ratione desumptâ à subjectis, itemquè effectione quadam accidentali, ab homine transeunte.

IV. Quæ

IV. Quà HOMONYMIAM: Notat 1. naturalem quendam instinctum ad objecta, sive naturalem quandam inclinationem ac promptitudinem (secundum Gutkium) ad ea quæ objiciuntur. 2. Civilitatem, quæ virtus est singularis, ab hac nostrâ virtute, distincta. 3. Ipsam ἐξὶν circa conversationem, quâ sermonem, & gestus, convenienter occupatam, hoc modo à nobis assumitur.

Homon.

V. SYNONYMA varia hujus virtutis sunt: Dicitur enim affabilitas, comitas, civilitas, facilitas, amicitia. Civilitas dicitur, verum improprie, confunduntur enim affabilitas & civilitas, quæ non sunt confundendæ. Indigitatur Amicitia: 1. Ratione efficientis, quia quasi amicitiam efficit. 2. Ratione defectus nominis, quia nomine proprio caret hæc virtus, sed ad amicitiaæ similitudinem proximè accedere videtur. Nam qui hoc habitu præditus est, ejusmodi est, cujusmodi hominem commodum & amicum significamus, cum amandi affectum assumpserit. Videatur hic textus Aristotelis in Nicom: Verum hoc ideò fit, non ut virtus hæc ipsa sit amicitia, sed amicitiaæ edendæ admodum accommodata sit virtus.

Synonymia.

VI. DIFFERT ITAQUE AB AMICITIA 1. Quod amicitia sit cum vero amore, sinceroq; affectu; Affabilitas verò non, sed alteri tantum exhibet benevolentiam propter honestatem. 2. Præsens nostra virtus docet, quomodo nos erga omnes in genere, tam notos, quam ignotos, comiter & familiariter gerere debeamus: Amicitia verò tantum docet conversationem, cum notis & amicis. Additur etiam 3. differentia, quod amicitia versetur circa amabile in vita & moribus: Affabilitas verò circa delectabile tantum, in dictis & factis. Hæc obiter de differentia amicitiaæ & affabilitatis.

VII. Dicitur Φιλία, non quòd amicitia vera sit, sed quia maximè ad hanc virtutem idonea sit: Φιλανθρωπία quod omnes in genere homines ad vitæ societatem colendam doceat. Popularitas dicitur, eò quod eâ imbuti toti populo vulgares sese & tractabiles exhibeant. Secundum Germanos dicitur interdum Leutseligkeit / Freundligkeit im Anreden / Holdseligkeit / à placidâ & amicâ hominum inter se invicem colloctione.

**Definitio.** VIII. Insequitur *πραγματολογία*, continens hujus virtutis varias DESCRIPTIONES: *Aristotelis* in *Nicom.* est virtus homiletica, quâ vir bonus ea omnia, quæ probanda, & ut probanda sunt, probabit; *Clarissimi Domini Gutkii*: est virtus mediocritatem servans in familiaritate & conversatione serâ, itâ ut nos vel faciles, vel difficiles exhibeamus, pro ut oportet. *Lie-benthalii*: est virtus moralis, quæ in sermonibus & actionibus quotidianis eam servat mediocritatem, ne quis præter meritum offendat, sed potius oblectet eos, cum quibus conversatur.

**Genus.**  
**Differ.**  
**Tacita res-  
pansio ad  
objectio-  
nem.**

IX. GENUS ex hisce constat: DIFFERENTIA desumitur à subjecto & objecto. SUBJECTO, homine videlicet, in sermone & actionibus placidum, jucundum & benevolum se exhibente. Nonnulli hîc contra sermonem insurgunt, ferentes non omnem hominem hujus virtutis esse capacem, mutos scilicet, quibus natura sermonem denegavit, ideò non verè dici eos virtute hac præditos. Verùm animadvertendum est, in virtute duo notari. 1. Internum habitum, qui muto non minùs quàm aliis, competere potest. 2. Actum externum, secundum quem operationes virtutis sese produnt, nequè hic totaliter de muto negatur, cum quoad gestus & signa externa, actionesve æquè affabilem jucundum & placidum se exhibere potest. Falsum ergo est affabilitatem tantum in sermone consistere. Videmus id in Comœdiis variisq; Spectaculis, ubi manus, pedes, oculi, aliæque corporis partes variis gestulationibus, etiam silente linguâ, multa loqui videntur.

**Objectum.**  
**Responsio  
ad objectio-  
nem,**

X. Differentia ulterius ab OBJECTO duplici desumitur: Interno & externo. INTERNUM sunt voluptates & dolores animi, qui ex rebus seriis in quotidiana hominum conversatione existunt. Ubi notandum, cum dolores & voluptates animi plurimarum virtutum objecta sint, circa eas perspicienda esse tria. 1. Ut sunt affectiones communes omnium virtutum, quia ex qualibet virtutis actione aut voluptates aut dolor in animo agentis excitari solet, sic omnium virtutum objecta sunt. 2. Quatenus se extendunt ad affe-  
ctiones



*Etiones* duorum tantum sensuum externorum primario, videlicet *gustus & tactus*, & sic sunt temperantiae objectum. 3. Pro hujus virtutis objecto, quatenus in quotidiano sermonis usu aut conversatione circa serium, in dictis & factis cernuntur.

XI. **EXTERNUM** sunt *seria negotia*, in quotidiana conversatione ita pertractata, ut singularum circumstantiarum ratio habeatur, personarum, rerum, locorum, temporum &c. In **PERSONIS** conditio animi, & exterioris status accidentalis attendenda est. *Perpendendum* itaque *an familiaris sit, an advena, intimus, an animo alienus, equalis, an inequalis, bonae maleve naturae, veridice an mendacis sit, an mores gerat severos, an hilares, an mala ambitione laboret, an molestia praeditus, benignus an malignus, officiosus an inofficiosus, utilitatis propriae an honestatis studiosior*. Nam pro diversitate morum diversè tractandi sunt homines.

XII. *Cum familiaribus & intimis liberè, cum advenis & similitatem exercentibus cautiùs, cum superioribus reverenter, cum equalibus circumspectè, cum inferioribus humaniter & benignè, cum bonis & veritatis amantibus tutò ac fidenter agere nos decet*. *Majoribus auscultare, & obtemperare recta monenti, convenit, minoribus modeste persuadere, ne quid molestiae afferas, equalibus consentire, si quid iusto & æquo consentaneum proferunt*. *Mendacibus fides deneganda, nequè etiam, quamvis pignus deponant, credendum*: *Hilares, jocundique viri suaviter, severi contractiùs ac brevibus tractandi*.

XIII. **RES** sive negotia praesupponunt **MEDIA**, quæ sunt vel *licita* vel *illicita*, *facilia* vel *difficilia*, *honestas* vel *inhonestas*. **LOCUS** est *publicus* vel *privatus*, propterea alter locus alteri praefereendus, majoriq; respectu attendendus est. **TEMPUS** est vel *tristitia*, vel *laetitia*, vel *nocturnum*, vel *diurnum* &c.

XIV. Cum verò in sermonibus & actionibus sive factis circa serium, nostras voluptates & dolores animi, perficere discamus, & affabiliras in vultus blanditie, morumq; suavitate & facilitate potissimum consistat, diligenter respiciendum est, quæ in sermone, quæve in actionibus cautio notanda sit.

XV.

XV. IN SERMONE notetur: Nunquam tacuisse no-  
cet, aliquando locutum esse perspicacis & sagacis viri esse. Non  
omninò hîc excludenda est sermonis parcitas, quæ, ut in pluri-  
bus aliis virtutibus laudatur, ita nequè hîc contemnenda erit,  
cum, qui tacere nescis, omnem inter amicos fiduciam tollas;  
Hinc urgente necessitate, omni amicorum consilio te carere ne-  
cesse erit. Quando silendum, quando vè loquendum, pruden-  
tia adhibenda est maxima. Coram magnatibus loquamur no-  
ta, loco, tempori ac personis convenientia, eaque pauca, non ut  
stupiditatis signum ostendamus, verùm prudentiæ silentium hoc  
assignetur.

XVI. Sermo etiam noster vel ad responsionem vel interro-  
gationem fit comparatus: INTERROGATIONES fiant  
modestè: RESPONSIONES breviter & prudenter. *Ab in-  
terrogantibus plurimâ rerum scientia infructus discamus ea, quæ scire  
nos non pudeat; Accuratis disputationibus & contentionibus hu-  
manus abstineat, aliorum monita boni consulat. Occasionem verò offen-  
sionis in verbis accurate vitemus, videlicet, exilitatem vocis, murmur, su-  
surrationses cum aliis, inconstantiam, raucedinem, sreatus, vitiosos ha-  
bitus &c.*

XVII. Ita nobis circa objectum occupatis, advenire con-  
jungiq; huic virtuti aliquo modo videtur DISSIMULATIO,  
cujus plurimæ dantur NOTÆ, nobis nostræquè vitæ perutiles  
addiscendo. *Non aperiatur, quod ab aliis fidei nostræ est commissum: ne  
factum aperiatur, ex quo scandalum oriri potest; ne Consilia aperia-  
tur, quæ postmodum in lucem protracta, difficultatem exitus pa-  
riunt; ne alterius vitia & defectus cognoscere videamur; ne alterius  
animum erga nos, aut eos, quos amamus malevolum, vel alte-  
rius benevolentiam erga inimicos nostros perspectam semper  
habere videamur; ne ostendamus offensam aliquam nos sen-  
tire.*

Responsio  
ad objectio-  
nem,

XVIII. Hîc tamen, inquis, dissimulas mihi, quod ego sci-  
re desidero, mihiq; prodest. Quid quæso? Mihi amico tuo tuam,  
à me mutuò petitam pecuniam, quamvis præsentem, celas ne-  
gando. Heus mi amice, ne dum tibi prodesse studeo, meipsum  
gravi-

graviter lædam. Oriuntur hinc alii casus in quibus non minus etiam dissimulationem adhibeamus, cum videlicet ex nobis interrogatur, num res hoc vel illo modo se habeat, quæve nostra sint consilia, opiniones, sententiæ, & cogitationes, cum præsertim nostra res implicite, etiam inscientibus vel quærentibus aliis, vel nobis partim respondentibus, agatur, quod cum simpliciter & nudè fit, consilia nostra privata non tantùm patefcunt, verum etiam infimul quoq; res nostra coincidunt.

Objectio.

XIX. Hic certè amico non est tacendum, neq; etiam liber aliter pronunciandum, sed dissimulatione responsio ita involvenda est, ne mendacium dicamus, nève verum negemus: Alii respondent, sermonem ita construendum esse, ut vel quadam levitate sermonem transiliamus digrediamurq; , vel etiam eundem abrumpamus. Nonnulli ita; sibi quicquam hac de re constare negant. Verùm hi verum negando, falsum affirmant. Quidam hanc ratione responderi putant, quâ milites sine fugâ pugnam devitant, videlicet nec fateamur, nec negemus, quod verum est, nève dicamus, quod dici non oportet, interrogans deniquè æquè incertus ac antea fuerat, à nobis discedat. Tantò itaq; laudabilior censetur responsio, quantò cautior formatur. Ut ut hæc sint pro ratione circumstantiarum, personarum præcipuè cautelæ vel negligi, vel magni æstimari possunt.

Responsiones.

XX. Accedit dissimulatio in factis & gestibus. Qualecunque de hac & priori feratur iudicium, in quotidiana tamen vita sæpissimè maximam pariunt utilitatem. Depellunt enim à nobis non tantùm varios errores, muniunt nos nonnunquam contra vim veneni, verùm etiam abigunt varias fraudes & imposturas; Cavendum tamen hinc, ne silente linguâ, vultus, oculi, reliquiq; gestus loqui videantur. Vitemus & hinc occasionem offensionis, motus scilicet corporis scurriles, ridiculas gesticulationes, levitatem, &c.

XXI. Descendimus nunc ad virtutis HUIUS TEMPERAMENTUM, quo comitas gravitate, & gravitas comitate temperanda est, quæ si deest, affabilitatem morumquè suavitatem,

C

quæ,

*Obiectio.* quæ nobis valdè familiaris sit, diminuimus. Quamvis quidam hic in praxi, hujus virtutis cum affabilitate societatem & vinculum disrumpere conantur, nolentes moveri affectibus, prætendentesq; gravitatem in solâ vultus torvitate & morum severitate consistere, ideoq; virtutes has conjungi minime posse.

*Responsio.* XXII. Verùm veram hujus virtutis si indignant definitionem, aliaquè nonnulla, omninò harum virtutum societatem non modo approbare, verùm etiam ob rupturam metuendam, firmiter munire & confirmare conabuntur. 1. *Definitur virtus, externum corporis habitum, gestum, motum ad decoram dignitatem, unicuiq; pro status & conditionis ratione convenientem componens.* Non igitur ex vultus torvitate aut severitate, sed vera definitione de gravitate judicandum; non ex vulgi opinione, sed prudentum accuratâ animadversione & judicio.

XXIII. 2. Si affirmabis hanc conjunctionem repugnare experientiæ, respondebitur tibi non modò summam affabilitatem nihil gravitati detrahere, verùm potius gratiam & favorem conferre summum. 3. Quemadmodum simile rem illustrat, ita gravitas conjuncta affabilitati, illustriorem facit, majorem dignitatem, respectum, & auctoritatem conciliat.

*Extrema.* XXIV. Quâcunq; deniq; ratione offendamus proximum, peccamus vel in defectu vel excessu, unde habemus EXTREMA. In EXCESSU quidem peccamus, quando omnibus, quibus nos semper decebat, nos affabiles, placabiles & faciles præbemus.

XXV. Fit hoc vel, quando tantùm delectandi gratiâ id facimus, cum tantùm modo placere studemus, dicitur hoc vitium, aliàs *κολακίαι* assentatio. Vel, quando instituimus emolumentum & utilitatis gratia, seu cum facimus *lucris causa*, quod inde nos consecuturos speramus, & vocatur *δρέσκεια* adulatio.

XXVI. Utrumq; vitium sibi conjunctum habet mendacium; Omnibus enim nos placere posse impossibile est, proin adulatores ob favorem comparandum, sæpissimè graviter in aliis reprehendenda, approbant, laudant.

XXVII. ADULATORES habent conjunctam avaritiam, ideo enim applaudunt proximo, non tantùm, ut favorem sibi  
con-

concilient, eutemq; suam curent ac liniant, sed ut adulationis  
suae etiam praemium veluti praedam, aliena bona, accipiant.

XXVIII. In his igitur vitiis, iis, quibuscum versantur, praeter  
modum & honestatem tam in dictis quam factis placere stu-  
dent tales homines.

XXIX. In DEFECTU pugnant morositas, rusticitas, sive  
amarulentia; quando omnia jucundè, dicta vel facta peccans non  
modò interrumpit, verùm etiam, ne honestis favere & placere  
studet, semper contrarius est, nihil laudat, nisi quod ipse gesserit, ni-  
hilq; commendat, nisi quod ipsi ita videtur. Pluribus qui se satiare vult,  
videat Aristotelem in Nicom. D. Jacob. Martin. D. Balduinum  
in Casibus consc. Christian. Matth. Gutk. Liebenthal. Aidium  
in Clavi Philosoph. moral. Nicolaum Bellum, in collectis dis-  
cursibus Politicis.

### III.

## Quaestiones.

### I.

Utrum amicitia & affabilitas sint una an  
diversae virtutes?

Prius negatur, posterius affirmatur: Quia diversa habent  
opposita. 1. Assentatio quidem & morositas opponuntur & affabi-  
litati & amicitiae; verùm non eodem modo; Affabilitati directè  
& per se; Amicitiae indirectè & per accidens tantùm, quatenus  
ex assentatione & morositate vera corrumpitur amicitia. 2. Af-  
fabilitati opponuntur, ut sunt habitus excessus, defectus & priva-  
tiones, deflectendo scilicet à medio & vera actione: Amicitiae  
verò, ut sunt affectus naturales partim, partim contracti.

### II.

An Carthusiani dicendi sint affabiles, qui neq; se indi-  
cem, neq; alios alloquentes, sed tantùm signis &  
nutu omnia peragunt, cum tamen non  
sint muti? N.

Quia r. sermonis usus cuiq; à natura est inditus, certumquè est,  
omnibus inesse potentiam loquendi; Cum vero tantùm signis

naturæ omnia secundum proprias traditiones peragunt, ipsi natura repugnant. 2. Hominem esse animal πολιτικόν, adeoq; ideò natum esse, ut in hominum conversatione degeret. Quis verò in societate hominum dignè vivere potest, aut verè virtuosus esse sine exercitio sermonis? 3. Quomodo quis verè affabilis dici potest, qui in dictis sermonem sine justâ necessitate petulanter infringendo, se non blandum præbet, consilio aliisque utilibus monitis nemini succurrit? 4. Omnino etiam is *contrariatur Sacra Scriptura* dictis, & exemplis, ubi ne unicus quidem sacerdotum prohibitus fuit, ita sermonem infringere. Quare repugnat sententia hæc naturæ, communiter animadverso principio, affabilitatiq; propterea contrarium etiam testante scripturâ, illicita est & contemnenda.

IV.

### Canones.

#### *Proprietates sive officia.*

1. Qui sermones aliorum interrumpit, vel contradicendo, vel antevertendo loquentem, ac mentem ipsius sinistrè divinando, non est affabilis.
2. Affabilis placidum & benevolum se gerat in audiendo & respondendo.
3. In audiendo utatur benevolentia, patientia, & attentione. Negligentes enim in audiendo, videntur parvi facere, aut loquentem, aut rem ipsam.
4. In respondendo exerceat mansuetudinem. Severæ enim responsiones animum abalienant, nosq; nimis duros ac difficiles manifestant.
5. Blando vultu audiendo, mansuetèque respondendo humana corda vincuntur, clauduntur, referantur, nobisq; æquiparantur.
6. Semper ultimum in loquendo locum nobis assignemus.
7. Hac qui carent virtute, etiamsi maximi viri, in odium publicum sæpe incidunt.
8. Humanitas necessaria est ubiq; in Rep. maximè.
9. Sicut Musica ex suavi & apta, acuti & gravis consonantia resultat; Ita affabilitas facilitate & gravitate componenda, temperanda & collocanda est.

10. In

10. In sermone, perpetua & nimium intensa severitas fugienda.
11. Diligenter advertenda sunt tempora, quando nostri soli esse cupiunt, quibusvè horis ocium aut recreationem amant, quando etiam amicorum conversationem expectant, nè, dum officiosi esse volumus, molesti fiamus.
12. *Nemo vituperandus*; Nisi vero aliter fieri queat, factum non persona repræhendatur.
13. *De omnibus honorificè loquendum.*
14. Invidi & lividuli homines contemptu potius, quam odio vindicandi sunt. Contemptus enim molestior damno.
15. Graves mores indicant animum constantiâ, prudentiâ, multâq; virtute excultum.
16. Si delectatio cum turpitudine sit conjuncta, potius proximus nonnihil offendendus, quam turpiter delectandus.
17. Humanus unicè hoc agit, ut voluptati in communi hominum societate studeat.
18. Magis affabilitati opponitur morositas, quam assentatio, quia illa cum minus participat de medio, tum majore repræhensione digna est.
19. Humanus erga omnes in genere homines, quantum potest, placidè & decorè, sicut decet & debet, se gerat.
20. Utilitatem & honestatem in actionibus suis semper proponat.
21. Quod tristitiam & molestiam afferre potest, id omne avertat, quantum valet.
22. Obvii humaniter alloquendi.
23. In via salutandi, resalutandi, de via cedendum, caput denu-dandum; respectu personarum habito.
24. Tacite de re turpi monendi.

Soli Deo Gloria.



**A**ffabilis quis, & quis  
Morosus & Modestus;  
**EISENI**, amata proles  
Virtutis & Minervæ,  
Idem polite miles  
Qvos alma castra claudunt  
Virtutis & Minervæ;  
Hac Disputatione  
Edisseris politè.

Anacreonticelli  
Affabiles, Modestos  
Qvàm diligunt! Faceſſat  
Morosus hinc, & omnis  
Faciles cui negavit  
Morum Magistra mores:  
Omnesq; qvos honorum  
Inanis ardor urget:  
Qveis tortuosiora  
Anacreonticellis  
Dicam parate metra.

Præclara forma pugnae,  
Qvam ſuſcipis, nec ullo  
Cruore palma conſtat!  
Pugnatur hæc frequenter  
Variâq; forte multis:  
Pugnatur eruditis,  
Pugnatur impolitis,  
Audaculis; quid inde?  
Et crebrius; quid ergo?

Non



Non arripit coronam,  
Sed accipit coronam,  
Affabilis, Modestus.  
EISENI, amate pulle  
Virtutis & Minervæ;  
Pugnæ sat eruditus,  
Sat aptus, expolitus,  
Urgere perge cœptum,  
Ad gloriam J E H O V Æ :  
Non ambias honores,  
Et offerent honores.  
Ultrôq; se citroq;

*Ita Amico & Contub.*

*Pio ac Sincero*

*gratulor*

*Augustinus Lietzhaimerus.*



**A**rdua quos stimulat virtus, sua præmia restant  
Debita; quin cingent laurea ferta comas:  
Non ita qui vanâ turgescunt laude: Modestè  
Res per agenda. Cave, ne nimis alta petas:  
Nam tumidi fallunt nimium, falluntur & ipsi:  
Felices medium qui tenuère sibi.  
Ergo viam queras mediam; sic itur ad astra.  
Sic tibi succedet, non sine laude, labor.  
Hoc facis, Eiseni, præclara Modestia quondam  
Te docuit medio tramite ferre gradum.  
Nunc premis, & veterum promissis vestigia laudum,  
Cum tibi virtutum pugna Modesta venit.

*Sic*

*Sis facilis, simul & maneat affabilis, usque  
Mens volet è nitido corpore culta; Vale.*

*Imq;*

*adponebat*

**Georgius Engelhardt, Guntzen-  
husanus Francus.**



**Simon Wolfgangus Eifen.**

*Αναγ.*

**Gnavus es omninò; I, fulges.**

**Q**uicquid ubiq; boni est, Deus hocce laboribus omne  
Venditat: Ut verbum verum habet atq; vetus.  
Hoc benè novisti, nulli parcensq; labori  
Gnavus es omninò, ut sic tua dona feras.  
I, fers; Nam gnavus fulges, fulgebis & inde,  
Nec deerunt studiis plura brabea tuis.  
Gnavus enim si sic perges ad limen honoris  
Mox etiam fronti laurea munus erit.

*Ἐνοίας καὶ Φιλίας*

*ἔνεκα faciebat*

**Johannes Bernhardus Rauschart,  
Creilshemio Francus.**

**F I N I S.**

DS A 1800


ULB Halle 3  
003 787 281



VONP







COLLEGII MORALIS  
EXERCITATIO IX.

De  
**MODESTIA**  
ET  
**AFFABILITATE,**

DEO AVSPICANTE  
*In Electorali ad Albim Universitate*

Sub  
PRÆSIDIO

**DN. M. MATTHÆI Grossers/**  
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti  
dignissimi, Fautoris sui perpetim  
colendi,

*Respondente*

**SIMONE WOLFFGANGO EYSENIO,**  
Chreilsheimensi Franco,

*Academici exercitiij gratia*

Disquisitioni placidæ subjecta.

*Ad diem 25. Martij, horis locoq; consuetis.*



WITTEBERGÆ,

Typis hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno MDCCXXX.